

Johann Quistorp Philipp Heinrich Friedlieb

## **Disputatio Theologica De Iustificatione Hominis Peccatoris Coram Deo**


Rostochi[i]: Pedanus, 1632

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739724940>**

Druck Freier  Zugang



Vert.: Ph.-H. Friedlieb  
F. Günstig.  
R.-H. theol. 1632.



Σὺν Θεῷ

Disputatio Theologica,

DE

JUSTIFICATIONE  
HOMINIS PECCATORIS

CORAM DEO,

Quam

in Alma Rosarum

*Annunte S. S. Triade*

Consentiente Facult. Theolog.

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS QUISTORPII,

SS. Theologiæ D. & Professoris ibidem

celeberrimi, Facultatis Theolog. p. t. DECANI Spectabilis, in æde Mariana Ecclesiasticis vigilantissimi,

DN. Promotoris, fautoris ac in Christo  
fratris sui ætatem colendi,

*Pro consequenda in Theologia*

LICENTIA

*Publico examini, horis ante & post meridianis, in*

*Auditorio Majori, proponit*

M. PHILIPPUS-HENRICUS FRIEDLIEB.

Osnab. VVestph. Ecclesiæ Jacobæ Stral-  
fundinæ Pastor,

*ad diem 15. Octobris.*



ROSTOCHL,

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.

ANNO M. DC. XXXII.

43

1632

57

INSTITUTIONE  
HOMINIS PECCATORIS

in Almu. Kollatur.  
A. M. 1717.  
Collegio Theol. Rostoc.

Ex Bibliotheca  
Academica  
Rostochensis

M. PHILIPPUS HENRICUS FRIEDLER



# I. N. D. N. J. C. A.

## Proœmium.

**H**auasiander noster Lutherus, quar-  
ti A. C. Articuli de Justificatione hominis pec-  
catoris coram Deo dignitatem, cum pari utili-  
tate & necessitate conjunctam commendaturus,  
testatur: Eo amisso nulli heresi, false doctrinae,  
quantumvis ridicula & vanæ resisti posse: Ecclesiam non consti-  
tere, nec Deum retinere suam gloriam, quod sit misericors, &  
propter filium condonet peccata: Eum solum facere Theolo-  
gum, & ex Theologo Judicem terrarum & omnium negotio-  
rum. Tom 3. Jen. Lat. p. 39. Comm, in Epist. Gal. fol. 10. Tom.  
3. Lat. Jen. p. 447. & Tom. 5. germanico Jenensi fol. 159. Hunc  
ergò Articulum, multis insuper & magnis impedieum difficul-  
tatibus, cum διὰ βεβαίων Disputat. cancellis simus circumscri-  
pturi, ut justâ Methodo, debitâq; σαφινεία pertractemus, Duo  
precipue constituemus membra: quorum Prius Orthodoxiam;  
Posterius verò Heterodoxiam, breviter, pro Thesium ratione,  
enarrabit. Veneramur verò πρὸς ἀλήθειαν ὁ Φωτιστὴς πάντων  
ἀνθρώπων ἐρχόμενον εἰς τὴν γῆμον, ut sedens, ad dexteram pa-  
tris, accepta pro nobis charismata, in nos, εἰς οἰκδομήν τῆς ἐκ-  
κλησίας αὐτῆς, distribuat. Amen.

## Membrum I.

I. Orthodoxian Articuli de Justificatione proposituri,  
fundamentum, cui eam superadificaturi sumus, ex Rom. 3. v. 24.  
& 28, præmittimus: Justificamur gratis, ipsius gratiâ, per re-  
demptio-

demptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium, per fidem, in sanguine ipsius, ad declarandam justitiam suam per remissionem præcedentium delictorum. Cui consonant Rom. 4. v. 5 c. 8. 32.

II. Definitio exinde talis exstruitur: Justificatio est actio Dei, Patris, Filij & Spiritus S. qui ex mera gratia & misericordia, propter Christi mediatoris & redemptoris obedientiam & satisfactionem, homini peccatori, verò in Christum credenti, gratis, sine operibus aut meritò propriis, peccata remittit, justitiam Christi imputat, & ad vitam æternam acceptat, ad divini nominis gloriam, & hominis salutem.

III. Ad modum aliarum Definitionum, & hæc resolvenda est, in Definitum; cujus & Etymon, homonymia & Synonymia expendenda; & Definitionem in specie dictam, ubi Genus cum Differentia observandum.

IV. Justificationis Etymologia, ex Justitia, justo, & facere est; Neq; Compositio pro thesi Pontificiâ quidquam inferat, cum nec sanctificationis vox, quam exempli ergò adducunt, semper significet ex non sancto sanctum, infuso sanctitatis habitu facere. Jubemur namq; sanctificare Iehovam exercituum, Esa. 8. v. 13. Petimus Matth. 6. 9. sanctificetur nomen tuum. Quin & de hominibus usurpata, imputationem sanctitatis Christi sæpè notat. Hebr. 10. v. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel peractam. Sic & Hebræum קִדְּשָׁה, justificavit, justum pronuntiavit significat. Quare & LXX. Interpretes διὰ τοῦ, διὰ τοῦ σώματος, διὰ τοῦ ἁγίου reddiderunt. Fratres proinde Iosephi Gen. 44. v. 16. ajunt: quid dicemus? קִדְּשָׁה הָאֱלֹהִים quo justificabimur, vel quo à reatu furci absolvemur?

V. Synonymon est salvatio, utpote, quæ jisdem cum justificatione causis constat, & quæ in sacris cum ea sæpè permuta.

mutatur. Dicimur namq̄ gratis, ex fide, sine operibus salvari,  
2. Tim. 1. 9. Act. 13. 11. Roman. 11. 6. Tit. 3. 5. Eph. 2. 8. Ne-  
quaquam verò Renovatio. Iustificatio enim præcedit &  
fidei imputatur. Renovatio tanquam fructus iustitiæ, Phil. 1.  
11. & Spiritus Gal. 5. 22. sequitur. Iustificatio perfectissima &  
omnibus numeris absolutissima est. Renovatio verò imperfe-  
cta, propter adjacens malum, nec in omnibus equalis.

VI. Homonymiam ut monstremus, non prolixè expli-  
cābimus iustitiæ & justi diversimodas acceptiones, quomodo  
Iustitia vel Philosophicè accipitur; notetq̄, aut universalem,  
aut Particularem, eamq̄, vel Commutativam, vel Distributi-  
vā, indeq̄, justi nomen variet. Quomodo & accipitur iustitia  
& justus Theologicè, dum Deo attribuitur, Christo & homini-  
bus; legi enim illa apud alios poterunt: Solum verò de Iustifi-  
cationis  $\alpha\lambda\omega\sigma\mu\pi\alpha$  solliciti, vocabulum id juxta morem voca-  
bularum  $\alpha\phi' \epsilon\upsilon\delta\omicron\varsigma \kappa\alpha\iota \omega\epsilon\varsigma \epsilon\upsilon$ , diversum obtinere significandi  
modum, observandum est. Notat enim nonnunquam incre-  
mentum iustitiæ in statu novæ obedienciæ Apoc. 22. 11. Ac-  
cipitur & pro declaratione Iustitiæ fidei coram mundo.  
Jacob. 2. 18. Indigitat nonnunquam declarationem maje-  
statis 1. Tim. 3. 16. Inter eas verò significationum diversita-  
tes, Principalis est significatio forensis. Et hæc locum ha-  
bet 1. extra Articulum de Iustificatione, ut Esai. 5. 23. Va illis,  
qui iustificānt impium propter munera  $\text{וְיִצְדַּקוּן}$  justum pro-  
nunciantes. Deut. 25. 1. Si fuerit causa inter aliquos & vene-  
rint in iudicium, iudicent eos, iustificent justum, vel absolvant  
justam causam habentes, & condemnent impium. Similia vide  
2. Sam. 15. 4. Psal. 82. 3. Locum in super hæc acceptio in Arti-  
culo Iustificationis invenit, ibiq̄ genuina & propria est, triaq̄;  
in se complectitur: 1. Accusatum absolvere ne condemnetur,  
2. eundem pro justo censere & pronunciare, 3. iustificato  
A 3. resti-



*Testimonium & premia, quæ justis & innocentibus debentur, tribuere.*

VII. Esse verò hanc acceptionem in hoc negotio nativam patet i. ex forensi in Biblijs descriptiones datur enim iudicium Job. 9. 2. 3. Psal. 143. 2. in quo est delictum Matth. 6. 12. seu debitum Matth. 18. 25. & Chirographum Col. 2. 14. & testis (conscientia) Rom. 2. 15. & tribunal (Christi) Rom. 14. 10. 2. Cor. 5. 10. & reus (homo peccator) Matth. 5. 21. 22. Marc. 3. 29. Rom. 3. 19. Jacob. 2. 10. qui deliquit Rom. 3. 10. 23. cap. 4. 5. qui debet Matth. 6. 12. cap. 18. 24. coloss. 2. 14. & nec solvere nec rependere potest, Job. 9. 3. Psal. 130. 3. Matth. 18. 25. ideoq; peccata sua confitetur Psal. 32. 5. Esai. 64. 9. Dan. 9. 5. 6. 1. Job. 1. 9. cap. 2. 1. supplex misericordiam implorat Psal. 25. 6. 7. Psal. 143. 2. Matth. 18. 13. & Advocatus 1. Job. 2. 1. seu Mediator Hebr. 7. 22. ( qui peccata sibi imputata expiat Psal. 69. 5. Esai. 23. 5. 6. 10. 11. 12. 1. Tim. 2. 5. 6. pro reus intercedit Rom. 8. 34. Hebr. 10. 14. eosq; cum parte lesa in gratiam reducit Rom. 5. 10. 2. cor. 5. 19.) & Iudex (Dominus) Job. 5. 27. Act. 10. 42. cap. 17. 31. 1. cor. 4. 4. qui per mediatorem placatus Rom. 5. 10. 20. col. 1. 11. Ioh. 2. 2. supplici Reo culpam, & pœnam condonat Psal. 32. 1. 2. 5. Psal. 103. 8. 9. Act. 13. 28. eumq; gratis acceptat, Psal. 25. 6. 7. Rom. 3. 24. cap. 4. 2.

2. Ex oppositione. Opponitur ipsi condemnatio Rom. 5. 18. peccati imputatio 2. cor. 3. 9. non dimissio Gal. 3. 10. quæ omnia forensia.

3. Ex Synonymica phrasium conformitate, quò spectant, non vocari in iudicium Psal. 143. 2. non judicari aut condemnari, Job. 3. v. 16, 17. cap. 5. 24. peccata remittere Ioh. 20. 25. Rom. 3. 25. condonare Col. 2. 13. solvere vel absolvere, Matth. 16. 19. cap. 18. 18. tegere, non imputare peccata Rom. 4. 7. 8. reconciliari, 2. cor. 5. 19. Rom. 5. 10.

IIIX. Ge

*IIIX. Genus in Definitione est Actio, quia Paulus  
verbis activis utitur, justificare, salvare, peccata remitte-  
re.*

*IX. Differentia desumpta est ex Causis 1. Efficiente,  
2. Impulsiva interna, 3. impulsiva externa seu meritoria, 4.  
materiali 5. formali, 6. ex parte nostri, instrumentali, & deniq;  
7. finali, quas omnes ordine videbimus.*

*X. Efficiens causa justificationis est Deus, ut ex sede  
Articuli patet, & ex cap. 8. 33. Deus est qui justificat. Item  
Esai. 43. 35. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. Solus, Ose.  
13. 4. solus Dominus Deus noster, & salvator non est prater  
eum. Pater, Filius & Spiritus S. quod probatur 1. ex The-  
ologico Axiomate: Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa,  
servato tamen ordine & discrimine personarum 2. ex aperta  
scripturae testificatione: Patri attribuitur Iob. 3. 16. Filio  
Gal. 2. 13. Spiritui S. Rom. 5. 5. 3. Ex Apostolica trajecti-  
one, Ephes. 4. 32. Deus in Christo donavit nobis. Hinc tota  
S. S. Trinitas intro ducitur: Justificati estis per nomen Iesu &  
per Spiritum Dei nostri, 1. cor. 6. 11.*

*XI. Impulsiva interna (Externa enim  $\alpha\epsilon\upsilon\gamma\alpha\tau\epsilon\lambda\phi\upsilon\kappa\eta\varsigma$   
nomine miseria humana  $\tau\acute{\alpha}\ \sigma\omega\lambda\acute{\alpha}\gamma\chi\upsilon\alpha$  summi Dei movens, ve-  
nit) est gratia: Justificamur gratis ejus gratiâ Et Ephes. 2. 8. 9.  
gratia salvati estis.*

*XII. Gratiae autem vocabulum  $\epsilon\kappa\ \tau\acute{\omega}\nu\ \mu\upsilon\lambda\lambda\alpha\chi\acute{\omega}\varsigma\ \lambda\epsilon\gamma\omicron-$   
 $\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\nu$ , (vide Flacium in Clav. Scripe. voce gratia,) est. Inter il-  
las significationum varietates, tres sequentes sunt insigniores:  
indigitat enim nonnunquam gratiositatem, quâ quis omni-  
bus bonis amabilis est, quo sensu de Maria dicitur, quod sit  
gratiâ plena Luc. 1. 28. & de Christo, quod gratiâ & sapientiâ  
coram hominibus profecerit Luc. 2. 52. Notat 2. gratiam pas-  
sivam, seu gratuitum Spiritus S. donum, idq; per meconymiam  
effecti*

201011

effecti pro causa, quia ad simplicem Dei favorem dona subsequuntur. Hinc  $\int \eta$  significat quandoq; donare, ut Jacob ad Esavum Gen. 33. 5. Isti pueri sunt, quos Deus  $\int \eta$  gratificatus seu largitus est. Designat deniq; gratiam activam, gratuitam Dei misericordiam  $\chi \alpha \rho \iota \sigma \mu \alpha \varsigma$   $\kappa \alpha \iota$   $\phi \iota \lambda \alpha \nu \theta \rho \alpha \tau \iota \alpha \varsigma$ . Sic Gen. 6. 8. Noah gratiam dicitur invenisse in oculo Domini, exponente sic Epistola ad Hebr. cap. 11. 7.

XIII. Atq; in postremâ hac significatione thesisi præcedens voce gratiæ usâ est, quod probatur 1. Ex oppositione operum & gratiæ Tit. 3. 5. Non ex operibus  $\tau \alpha \upsilon \tau \alpha \iota \varsigma$   $\epsilon \nu$   $\delta \iota \kappa \alpha \iota \sigma \mu \acute{\omicron} \nu \eta$ , quæ secimus, nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit. 2. ex insigni gratiæ discriptione, quæ tum Rom. 3. 24. ex sede articuli depromi potest, tum & extat 2. Tim. 1. 9. Salvos nos fecit, non secundum opera nostra, sed secundum  $\iota \delta \iota \alpha \nu$   $\omega \epsilon \lambda \theta \epsilon \iota \omega$  & gratiam, quæ data est nobis in Christo, ante tempora, secularia. Ubi, ne passiva intelligeretur gratia, notandum quod Apostolus dicit, ante tempora secularia. 3. Ex ejusdem cum Dei Charitate, misericordiâ & pace permutatione, quæ Rom. 5. 8. Tit. 3. 5. videri potest.

XIV. Ut autem magis pateat, eam esse gratiam, quam diximus notetur particula gratis, quam Paulus gratiæ subjungit.

XV. Gratis verò 4. modis dicitur 1. opponitur eventui sperato, idemq; quod frustraneum seu supervacaneum designat. Gal. 2. v. ult: Non aspernor gratiam Dei: nam si per legem est justitia, Christus,  $\delta \omega \rho \epsilon \alpha \nu$   $\alpha \nu \theta \omega \nu$  frustra seu gratis mortuus est. 2. veræ & justæ causæ, idemq; quod iniquè & temerè significat. Psal. 69. 5. Oderunt me gratis. h. e. odium istud ne levissima causa irritante sum promeritus 3. solutioni pretij, idemq; quod gratuito notat. Gen. 29. 15. Exod. 2. 2. Num. v. 5. 2. Sam. 24. 24; Matth. 10. 8. 2. cor. 11. 7. Apoc. 21. 6. 4. Merito, tam ad bonum quam ad malum, adeò ut nulla verè, promerens

merens causa antecesserit, 1. Sam. 19. 5. Quare peccas in sanguine innoxio, interficiens David gratis, & cap. 25. 31. effudisti sanguinem gratis.

XVI Ex hisce significationibus, 2. posteriores hinc locum, habent, neq; opponit eas Apostolus merito & satisfactioni Christi, ut jam jam demonstrabimus, sed Legi, & nostris operibus. Summa, ut in Psal. 69. 5. David cum querulatur 3. innuit, 1. quod non fuerit promeritus odium 2. quod ne levissima causa in illo fuerit, qua ad odium commovere alios potuisset, 3. quod contrarium potius, amorem & favorem promeritus sit sic Paulus gratis nos justificari asserens, etiam tria indicat, 1. quod in nobis nullum sit meritum salutis, 2. quod ne minutissima ratio in nobis inveniat, qua Deum moverit ad impertendam justitiam, 3. quod penas potius sumus meriti, unde August. serm. 15. de verbis Apostoli, prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes.

XVII Causa impulsiva externa meritoria, est Christus  $\text{Ἰὴσὺς ὁ Θεὸς}$ , qui nobis à Deo factus redemptio & justitia 1. Cor. 1. 30. Cum enim de Deo nostro rectè Syr. 5. 7. dicatur,  $\text{ἐλεῖ καὶ ἰσχυρῶς παρ' αὐτοῦ}$ , & justitia ejus peccatis totius generis humani horribiliter offensa, hinc ira super omnes secundum justitiam erat. Ne verò ea in discrimen veniret, oportuit satisfactionem intercedere perfectam, sine qua non poterat genus humanum in gratiam recipi, illa præstita à Christo, non ut nudo homine, sed ut diximus  $\text{θεωθεῶσπρω}$  unde Act. 20. 28. Deus sanguine suo Ecclesiam redemit, & 1. Joh. 1. 7. Sanguis Jesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato.

XIX. Probamus hanc thesin ita, 1. quia per Redemptionem Christi dicimur justificari, Rom. 3. 24. redempti ab eo sanguine pretioso, 1. Petr. 1. 18. & v. 19. dicimur empti, ubi

B

verbum

verbum à ποικίλον ἐστίν, 2. Petr. 1. v. 1. vide Apoc. 5. 9. Gal. 3.  
 13. unde & Jobus Cap. 19. 25. vocat Christum Redemptorem su-  
 um, quem ita describit, ut is ipse & non alius ex textus cohae-  
 rentia possit intelligi. 2. quia Mediator dicitur inter Deum  
 & hominem, 1. Tim. 2. 5. Mediator verò Hebr. 9. 13. 14. ideò ap-  
 pellatur quod semetipsum in ara crucis obtuleris Deo, ad emun-  
 dandam conscientiam nostram, hinc & inter Deum & nos, qui  
 propter peccata divisi à Deo, Esai. 59. 2. quos odio habebat Ps.  
 5. 7. qui venundati sub peccatum Rom. 7. 14. ἰδὸς πῶς propitia-  
 tio vel placamentum est, eò quod irato Deo pro nobis satisfecit,  
 & gratiam illius nobis conciliaverit. 3. quia legitur Esai.  
 53. ( Act. 8. 32. 1. Petr. 2. 24. idem repetitur, ) sustulit ΝΥΓ  
 bajulavit לָבֹדִים languores nostros & dolores nostros, non sui cau-  
 sa, sed nostri. Vulneratus propter iniquitates nostras, vel ut  
 textus sonat, à prævaricationibus nostris, attritus propter sce-  
 lera nostra, disciplina pacis nostrae super eum, & livore ejus sa-  
 nati sumus, Deus posuit in eo iniquitates omnium nostrum, ipse  
 v. 10. posuit animam suam ἵνα pro delicto, seu hostiam pro de-  
 licto, unde Dei ira in nos, & filij pro nobis satisfaciendi prom-  
 ptitudo & efficacia apparet. Vide etiam 2. Cor. 5. 21. Eum qui  
 non noverat peccatum, & èg ἵπῶν pro nobis peccatum (non sub-  
 jectivè nec inhaesivè, sed imputativè) fecit ut nos efficeremur  
 justitia Dei in ipso, & Gal. 3. 13. Christus nos redemit de male-  
 dictione Legis, factus pro nobis maledictum.

XIX. Meruit verò nobis gratiam hanc suà obedi-  
 tià, non solum passivà, qua contumeliosissimam crucis mor-  
 tem nostri causa sustinuit, Phil. 2. 8. sed & obedientià acti-  
 vâ, qua legi satisfecit, patet id expressis, cum v. tum N. co-  
 dicit testimonijs. Ex veteri Psal. 40. adduci potest v. 8. & 9.  
 In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam,  
 Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Hic per  
 volun-

voluntatem patris eam quam in Lege morali declaravit innuit,  
& vox Legis cuius sit mentio indicat, & ejus testes ex veteribus  
sunt August. & Theodor. Ajunt enim illam legem intelligi de  
qua Psal. 1. 1. in lege Domini voluntas ejus.

Ex N. T. inter qua plurima sequentia notanda, Matth.  
3. 17. ait Christus: veni non solvere Legem sed implere. Per hanc  
legem, intelligi legem moralem v. 18. probat; tam solida enim  
dicitur ibi constantia, ut caelum & terra sint interitura, ante-  
quam apex unus hujus legis intreat, qui non impleatur; & v.  
19. si quis minimum ex mandatis hujus legis solverit, minimus  
erit in regno caelorum, sic clarissimus locus est Gal. 4. 4. 5. sub  
lege Christus factus, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut a-  
doptionem filiorum reciperent. Ut ergo sub lege fuimus duo-  
bus maxime modis 1. ratione obligationis ad perfectam obedi-  
entiam, 2. ratione sententiae mortis ac damnationis aeternae,  
quam Lex in omnes adversum se praevaricantes, evibrat, sic ut  
hiscæ duobus modis nos obligatos redimeret,  $\tau\omega\upsilon\sigma\epsilon\upsilon\epsilon\upsilon$  & dicitur  
 $\tau\omega\delta\ \upsilon\sigma\epsilon\upsilon\omega\upsilon$  Huc & pertinet Rom. 8. 3. Quod impossibile erat le-  
gi, in quo infirmabatur per carnem, hoc Deus praestitit mittens  
in similitudine carnis filium suum, & de peccato condemnavit  
peccatum, ut justitia Legis impleretur in nobis. Eò & spectant  
Rom. 10. 4. 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. v. ult. & alia.

XX. Causa Materialis Justificationis non datur Ex  
qua, cum sit Actio, sed circa quam, dicta aliàs objectum: Illud  
verò est Homo peccator, juxta illud Rom. 4. 8. Beatus vir  
cui non imputavit Dominus peccatum; neq; verò omnis peccator  
sed justificandus, unde additur in Definitione, in Christum cre-  
denti peccatori, quibus innuitur, illum intelligi, qui fide Chri-  
stum apprehensurus.

XXI. Formalis causa exprimitur Imputatione,  
tum negativâ, quae est peccatorum inhaerentium non imputatio

seu remissio, enim affirmativâ, quæ est justitia Christi nobis non inherentis imputatio & applicatio, quæ ipsa literè docendi gratia duæ quasi partes vocentur, à se invicem tamen non possunt separari, unde fit, quod cum Rom. 4. Paulus ex Psal. 32. Davidis verba adducit, solius imputationis faciat mentionem.

XXII. Peccatorum non imputationem formam esse, sequentibus dictis stabilitur. Luc. 1. 17. ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissione peccatorum. Luc. 18. 13. Deus esto propitijs mihi peccatori, orat publicanus, & justificatus dicitur descendisse in domum suam, v. 14. Act. 13. 38, Paulus ait: Notum sit vobis fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur.

XXIII. Imputationem justitiæ Christi eo nomine venire, vel duobus his scripturæ testimonijs evincitur, 1. Ex Rom. 3. 24. tanquam Articuli sede, ubi dicitur ἡμῶν ἀποδοτέωσως quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium, dicimur justificari, 2. Ex cap. 4. 3. ubi Apostolus ait: Credidit Abraham Deo, & hoc imputatum est illi ad justitiam, item, Dicimus quod Abrahamæ fides imputata sit ad justitiam.

XXIV. Neq; verò intelligitur per justitiæ imputationem Essentialis Dei justitia, ut Andrea Osiandro, teste Sleidano lib. 22. pag. 700. visum, 1. Quod justitia quæ imputatur ex Evangelio nobis reveletur; Essentialis verò quæ est ignis absumens ex lege cognoscatur. 2. Quod illâ positâ, absurdum multa sequantur, (1) quod à justificatione homo, Essentiali Dei justitiâ, justificatus seu justus existens, μετὰ μωσῶσιν quidam Deus sit factus. (2.) quod plures forent justitiæ essentialis Dei, una qua Deus justus est, Alia pro numero credentium infinita. (3.) quod Nestoriana naturarum divisio sequeretur, utpote, quod Essentialis justitia Dei essentialiter sit in Christo Deo. Excluderetur ergò humana Christi natura.

à no.

à nostra justificatione. Originem verò opinio illa traxisse videtur, ex Lombardo lib. 3. sent. dist. 27. c. ubi charitatem quam ponit justificantem negat qualitatem nobis inhaerentem, affirmat autem Spiritum S. esse; unde & Johannis Cochlai argumentatio: Certum est, Deum nos justificare; Ac Deus est charitas, non fides. Ergò charitas non fides justificat.

XXV. Instrumentalis porro causa respectu nostri, quæ ceu manus mendicans remissionem peccatorum, & imputationem justitiæ ex gratia propter Christi meritum apprehendit, est fides, quæ vox cum varie usurpetur, certas agnoscat partes seu requisita, singularem causam Efficientem, speciale Objectum, & Effectum habeat, ea ordine etiam exponemus.

XXVI. Homonymia Fidei prolixè describitur apud Flacium in lib. de varijs vocabul. fidei significatis, quæ omnis ad 3. classes reduci potest, ut I. notet fidem Activam, vel constantiam & veritatem in dictis & factis, & sic Deo tribuitur Psal. 33. 4. Christo mediatori, Esai. 11. 5. Hominibus 2. Sam. 15. 20. 1. Thes. 1. 8. 2. significet fidem Passivam, quæ credimus & assentimur Dei verbo, quo spectat I. cum sumitur pro fide historica Exod. 14. 31. II. cum accipitur pro generali assensu. Iacob. 2. 19. III. cum ponitur pro nuda fidei professione Iacob. 2. 14. IV. cum usurpatur pro fide miraculorum Matt. 17. 20. V. cum designat cognitionem libertatis Christianæ Rom. 14. 22. & cum VI. usurpatur pro fide justificante. Rom. 3. 26. 3. Denotetur hoc vocabulo Objectum ac principium fidei, Gal. 3. 2. & 23.

XXVII. Requisita seu partes justificantis fidei sunt 3. 1. Πίστις Notitia 2. συγκατάθεσις, Assensus, 3. ἀληθεύειν Fiducia, unde duorum priorum intuitu ad intellectum, posterioris respectu ad voluntatem & cor refertur.

XXIX. Probari illa in genere possunt ex Iob. 14. 10. 11. 12. Non credis quia ego in Patre & Pater in me est,



¶ *Notitia*) credite mihi, me in patre & patrem in me esse (*Affensus*). Sin minus propter ipsa opera credite mihi. Amen Amen dico vobis (*Fiducia*) qui credit in me, opera qua ego facio & ipse faciet.

**XXIX.** *Fidem* verò esse *Notitiam* in specie evincitur 1. Ex synonymia, quod scriptura *fidem* per scientiam sæpè definit *Eesai. 53. 11.* In scientia sui servus meus justificabit multos, Radix ibi est *יָדָע* scivit, cognovit. *Ioh. 17. 3.* Hæc est vita æterna, iuxta *γινώσκων* ut cognoscant te solum verum Deum. 2. Ex oppositione: *Incredulitas* est ignorantia & tenebræ *Actor. 17. 23. & 30. Esa. 9. 1. Matt. 4. 15.* *Inspiciencia* & *stultitia*; 2. ex contrario, *credulitas* seu *fides* est scientia. Hinc *Angust. lib. 11. de Civit. Dei c. 3.* *Canonica scriptura fidem* habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus.

**XXX.** Esse *Fidem* fiduciam confirmatur in Specie, ex parallelis locis. Sic quod *Psal. 2. v. ult.* dicitur; *Beati omnes qui confidunt in eo* יְבוֹטוּ בַּיהוָה *fidit*; id *Marc. 16. 16.* sic exprimitur; *qui crediderit, salvus erit.* Quod *Eesai. 26. 3.* dicitur; *servabis pacem, quia in te confisus est*, id *Rom. 5. 1.* sic effertur; *Justificati fide, pacem habemus apud Deum.* Quod *prov. 3. 5.* dicitur: *confide Jehovæ toto corde*, id *Act. 8. 37.* sic proponitur; *si credis ex toto corde.* 2. Ex *ἐξήγησι* seu declaratione, ubi *fides* per fiduciam declaratur, *Psal. 78. 22.* Quia non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus, ubi radix est *בְּטוּחַ* fiduciam habuit. Sic & *Mich. 7. 5. 1. Joh. 5. 13.* Hæc scripsi vobis ut sciatís, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomen filij Dei v. 14. & hæc est fiducia quam habemus apud Deum. 3. Ab Exemplis, qualia enim illa sunt, ealem oportet esse Regulam cui subijciuntur, sic *Rom. 4. 18.* *Abraham in spem contra spem credidit, nec infirmatus est fide, nec considera-*  
vit

vit corpus suum emortuum v. 20. in promissione Dei non habita-  
vit diffidentia; ubi certè fiducia satis aperte innuitur. Matth.  
9. 22. Exemplum est hæmorrhousa, quæ illam fiduciam habuit,  
si tangeret vestimentum Christi, se sanam fore, quo & spectant  
exempla Cananææ Matth. 15. 28. Mosis & illorum quorum episto-  
la ad Hebræos 11. Cap. meminit. Possent & hic adduci testi-  
monia Patrum, ut Cypriani serm. 4. de mort. Aug. tract 29.  
in Johannem, at illa repeti possunt ex locis Dn. Chemnitij, ut  
& ex Examine Concil Trid. part 1.

XXXI. Hinc est, quod ex hac fide promissionem gratiæ,  
& in ea Christum mediatorem amplectente, ejusq; beneficia si-  
bi applicante, sacra scriptura doceat, nos de gratia Dei certos  
esse posse, quod probatur 1. per firmitatem divinarum pro-  
missionum, siquidem illæ conferuntur cùm Petra Matth. 7.  
25. cum firma terra & anchora Hebr. 6. 19. cum pacto, Ierem.  
31. 33. Talium a. promissionum. nucleus Ioh. 3. 16. extat; Sic  
Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c.  
2. per Spiritus S. verax testimonium Rom. 8. 14. 15. 16.  
Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod simus filij Dei,  
item Gal. 4. 6. 1. Cor. 2. 12. 3. per Dei jusjurandum. Deus a-  
bundantius volens ostendere hæredibus promissionis firmitatem  
& immobilitatem consilij sui, interposuit jusjurandum, ut va-  
lidam consolationem haberemus, qui confugimus ad tenendam  
propositam spem Hebr. 6. 16. 17. 18. Tale jusjurandum extat  
Ioh. 5. 24. Amen Amen dico vobis, qui sermonem meum audit,  
& credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, Ezech. 33. vi-  
vo ego dicite Dominus nolo mortem peccatoris, sed ut converta-  
tur & vivat. 4. per Sacramentorum utilitatem & com-  
modum; sunt enim signacula justitiæ fidei Rom. 4. 11. 5. per  
exauditionis promissæ expressam infallibilitatem Matth. 18.  
19. Ioh. 16. 23. Cum jam oratio etiam remissionem peccatorum  
petat.

petat *Matth. 6. 12.* hinc & de ea certitudo probatur. ut ex *Ps. 27. 8.* dicere possimus; Cor meum proponit tibi verbum tuum. Spectane etiam huc, vocum *ἁγιασμοῦ* *Hebr. 11. vers. 1. ἁγιασμοῦ* *Rom. 4. 21. ἁγιασμοῦ* *Ephes. 3. 12. ἁγιασμοῦ* *Hebr. 3. 6.* quibus fides describitur, *Emphases.* Vide tract. *D. Sigfridi Sacci,* quem *Magd. Anno 69.* de hac quaestione edidit, idem *Chemn. par. 1. Exam. m. p. 168.*

**XXXII.** Efficiens hujus fidei causa est Spiritus S. *2. Cor. 4. 13.* habentes Spiritum fidei, vel donum fidei, Non verò ita ut Pater & Filius sequestrentur, nam fides opus Dei est *Iob. 6. 29.* sed quia Spiritui S. regenerationis ac renovationis opus passim ascribitur. Noq̄ verò *Enthusiasticōs* eam in nobis operatur, sed *ἀναστυξῶς* *Rom. 10. 17. 2. Cor. 5. 21.* Ut enim in opere creationis lux corporalis oriebatur ex verbo *Gen. 1. 2.* ita in opere *ἀναστυξῶς* seu regenerationis lux Spiritualis etiam ex verbo est *1. Cor. 3. 5.*

**XXXIII.** Objectum autem ejus, seu materia circa quam, ratione notitiæ & assensus est omne & solum DEi verbum, ratione fiducia verò sunt promissiones Dei gratuita, licet enim justificans fides apprehendit etiam reliquas promissiones de bonis spiritualibus & corporalibus, ut testantur *Exempla Hebr. 11.* tamen si secundum animam suam, seu Fiduciam, in actu Iustificationis consideretur, pro Objecto habet Christum in verbo Evangelij sibi oblatum, eumq̄ apprehendit, quod scriptura roties nobis monstrat, quoties credentes in filium vitam aeternam habituros confitentur. *Iob. 6. Rom. 5. Iob. 14.*

**XXXIV.** Effectus hujus fidei, quamvis plurimi in sacris recensentur, ut sunt remissio peccatorum. *Act. 10. 43. ἁγιασμοῦ* *Iob. 1. 12.* tranquillitas conscientiae *Rom. 5. 1.* liberatio à dominatione legis. *Rom. 8. 1.* Securitas spiritualis, *Rom. 10. 11.* benedictio caelestis *Gal. 3. 9.* purificatio cordis, *Act. 15. 9.* victo-

ria

*Via Satanae Eph. 6. 16, 1. Petr. 5. 9. victoria mundi 1. Job. 5. 4.  
Patientia in adversis Rom. 5. 3. Accessus ad Deum Rom. 5. 2.  
Obfignatio veritatis Iob. 3. 33. Dilectio Dei & proximi Luc. 7.  
47. Spes futurae gloriae, Rom. 5. 1. Confessio veritatis creditae &  
cognita 2. Cor. 4. 13. Invocatio Gal. 4. 6. Rom. 10. 14. Vita & salus  
aeterna Iob. 3. 16. Inter hos tamen justificatio praecinet. Reli-  
qui verò enumerati, vel sunt planè cum justificatione ijdem, vel  
eam proximè insequuntur, ijdemq; adhaerent.*

*XXXV. Cum autem fide justificari dicimur, non acci-  
pitur Fides absolutè ut nobis inhaeret, & qualitas quaedam  
est; sed relatè, quatenus in Christum, tanquam in correlatum  
suum fertur, illiq; in divulso nexu adhaeret: Hinc salvifica fi-  
des, fides Jesu Christi, fides filij Dei dicitur. Rom. 3. 22. Gal.  
2. 16. 21. Hinc est, quod non propter fidem i. e. propter excel-  
lentiam & divinitatem, sed per fidem tanquam Causam instru-  
mentalem salvemur, quâ particula omne prorsus meritum, fidei  
extra Christum detrahimus, ut etiam imbecillam fidem, & vix  
fumigantem, modo Christo superadificata, ex Esai. 42. 3. Deo  
acceptam dicamus, quo & illud Marc. 9. 24. referendum.*

*XXXVI. Hac autem solâ nos justificari, probatur  
I. Ex operum ab actu justificationis remotione. Rom. 11.  
6. Gal. 2. 16. 2. à particulis exclusivis. Marc. 5. 36. Ne me-  
tuas μήτοις τίς τις, ut & Luc. 8. 50. 3. à phrasibus æquipollen-  
tibus, ut sunt ἐάν μή, εἰ μή Gal. 2. 16. Esse verò has particulas sy-  
nonymicas & exclusivas, patet ex Matt. 19. 9. c. 24. 36. Marc. 13. 32.*

*XXXVII. Particulæ verò Exclufivæ non excludunt  
gratiam Patris, nec meritum Christi, nec verbum & Sacramen-  
ta, & alia quæ cum fide, pro diversâ causarum consideratione  
subordinatorum naturam induunt, sed 3. potissimum do-  
cent 1. fidei justificantis objectum, quod non in Lege sed Evan-  
gelio quaerendum, 2. reconciliationis meritum, quod non sunt  
nostra opera, 3. applicationis organum, quod sola fides sine ope-  
ribus est.*

C

XXXIIX

XXXIIX. Bona autem opera, cum removentur, non fit ob actum praesentiae, sed communicationem efficientiae, id est, non quod fidei & justificationis non debeant adesse, sed quod ipsis adimatur in actu justificationis cooperatio. Idem hoc alij sic exprimunt: sola fides cum dicitur justificare, non particula sola determinat subjectum, sed praedicatum, unde & distinctae sunt propositiones: Fides sine operibus justificat, & fides, sine operibus est mortua.

XXXIX. Praeter rem verò est, quod Luthero ut dormienti Leoni temerè insultant & aurem vallicant Pontificij lepores, dum ajunt; particulam Sola cum nullibi in sacris posse reperire literis, ipsum Lutherum auctoritate sua usum in 3. cap. Epist. ad Rom. audacter posuisse, & monitum respondisse: Sic volo sic jubeo sic pro ratione voluntas. Verba sunt Becani Tom. 1. Opusc. pag. 226. Purgat se ipsum Megalander noster Tom. 5. Jenens. pag. 162. & fundamentum excusationis sequens ponit: quod nimirum respexerit ad proprietatem lingua Germanicae cum enim scriptura de duabus & pluribus rebus loquitur, ita ut de una tantum affirmet, de reliquis verò neget, jam illud loquendi genus non potest in idiomate Germanico significantius exprimi, quam per particulam Sola. Quid, quod editio vulgata Latina majoris emphaseos, ergò particulam illam saepè inseruerit, licet in editione Hebraea non habeatur, vide Levit. 21. 2. 1. Sam. 10. 19. Dan. 11. 4. Zach. 8. 19. Septuaginta etiam interpretes inseruerunt eam particulam Deut. 6. 13. quod factum Christus approbat, Matth. 4. 10. & Syriaca versio Rom. 4. 5. particulam Balchud posuit. Quin & Georgius Cassander in sua consultatione de Arcic. Rel. faceret Lutherum antiquitatis consensum habere. Dicimus proinde cum D. Gerharo Tom. 3. p. 971. Quod particula Sola, sit instar symboli purae & Evangelicae doctrinae: ut enim per schiboleth, Galaaditae suos contribules explorabant, Jud. 12. 6. sic per particulam hanc avla de xwlov insidiae deteguntur.

XL. Ex.

**XL.** *Expositis sic & ijs, quæ ad causam instrumentalem  
pertinebant, restat Finalis, quæ consideratur vel respectu Dei,  
vel nostri: Dei intuitu, est justitiæ & misericordiæ ejus singula-  
ris declaratio, ut ex v. 25. 26. Rom. 3. patet: Nostri verò re-  
spectu esse in hac vita; Pax & tranquillitas conscientia. Rom.  
5. 1. in altera verò, Beatitudo. Rom. 1. 16. 1. Petr. 1. 9. Atq[ue]  
tantum de Priori Membro. Sequitur*

## Membrum Posterius,

*enarrans*

*Heterodoxian*

### I. PONTIFICIORUM.

§ 1. *Justificatio ipsis est, infusio Justitiæ, ut calefactio  
est caloris datio, secus ac thesis nostra 7. habet. Coster. in Euch.  
p. 257. inde & Bellarmin. lib. 1. de justif. c. 1. quatuor enarrans  
justificationis significaciones, pro 2. quam acquisitionis dicit,  
urget dicta, 1. Cor. 6. Rom. 5. 19. ubi emphasin in voce, constituit  
justum, & in antithesi Christi & Adami, querit Dan. 12. 3.  
Esai. 53. 11. Urget compositionem vocis. At obliviscitur 1. sui  
nam lib. 1. de pœnit. cap. 10. § Promissionem, aic: Quid est re-  
missio peccatorum, nisi justificatio? Obliviscitur 2. suorum com-  
plicum, ut inter alios Tolet. in confutat. Antverpiens. Confes. in  
cap. de justi. ubi fatetur, verbum justificandi, pterumq[ue] significare  
absolvere, non autem infusus qualitatibus re ipsa justum facere.*

§ 2. *Compendium Theol. verit. lib. 6 c. 32. ut causam efficien-  
tẽ explicet, requirit aliquid ad justificationẽ ex parte Dei,  
ut sunt misericordia & justitia; aliquid ex parte peccatoris, ut  
sunt Dei amor & dolor; aliquid ex parte Ecclesiæ, ut sunt 1.  
meritum Christi & sanctorum. 2. Indulgentia per Papam & Epi-  
scopos, licet Jesuitæ moderni lupinam melius sciant cogere & q[ui]  
doct[ri]na videantur velle defendere. Bellar m. lib. 1. de justif. c. 2.*

§ 3. *Gratiam variè cum Scholasticis in gratis datam, gra-  
tos facientem, habitualem & actuaalem, ex citantem & adjuvan-  
tem, operantem & cooperantem, prævenientem & subsequentem*

Quomodo hæ partitiones sano sensu possint retineri vide apud  
D. Meisn. in Antrop. Disp. II. quæst. 3.) non solum distinguuntur  
sed & ex prædicamento relationis, in actu justificationis,  
transferunt in prædicamentum qualitatis, unde Patres  
Concilij Trident. Sess. 6. can. 11. Anathema dicunt ijs, qui sta-  
tuunt gratiam, quâ justificamur esse favorem Dei, ut thesis  
nostra 13. probavit. Neq; dicta quæ hic cumulant ex Rom. 5. ubi  
gratia donum dicitur, ex Johan. 1. ubi dicitur dari, ad Ephes. 4.  
ubi ad mensuram dari, ex Ephes. 2. ubi comparatur essentia quæ  
detur per creationem, ex 2. Cor. 6. Ephes. 5. 1. Joh. 2. ubi luci, ex  
2. Cor. 1. ubi pignori, sigillo, 1. Joh. 2. ubi unctioni confertur. ex  
Rom. 5. ubi gratia justificans dicitur Charitas diffusa in cordibus  
nostris, quicquam eos juvant. vel enim loquuntur dictorum ta-  
lium quædam de gratia, quæ accipitur pro effectis sive donis per  
gratiam, quæ justificationem sequuntur, & ab orthodoxis non  
negantur; vel sunt in illis metaphoricæ ipsius Christi & Spiritus  
S. descriptiones; vel quædam ipsam heterodoxiam aperte poti-  
us evertunt, quam confirmant, ut ex collatione patebit.

§. 4. Causæ meritoria, satisfactioni scilicet Christi mirum  
quomodo detrahunt! 1. Negant cum Stancaro Christum me-  
diatorem esse secundum utramq; naturam, Busæus in Disput. de  
persona Christi, thes. 79. Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 2. 2. Ne-  
gant Christum sensisse in passione iram Dei & passiones infer-  
nales, vocitantes doctrinam illam novam & inauditam impie-  
tatem, Bellar. lib. 4. de Christo Cap. 8. de quibus in loco de Persona  
Christi pluribus agitur. 3. Negant perfectè pro peccatis & pæ-  
nis à Christo satisfactum. 4. Negant promeritam esse justiti-  
am, quæ nobis imputetur. 5. Addunt Christi merito (1.) Mariæ  
meritum, quam unâ meruisse docent. videatur Mariale Anno  
1493. Argentinae per Martinum Simmum, editum lib. 1. cap. 5.  
unde nec Gregorius de Valentia & Bellarminus omnino impro-  
bant versionem illam Gen. 3. 15. ipsa conteret caput, cum tamen  
in Hebræo sit præter unicum exemplar textus Hebraici,  
quod corrupit Guido Fabricius. (1.) Sanctorum. Videatur Hor-  
culus.

*tulus animæ Anno 1599. editus, & Bernardinum Rosarium par.*  
*2. serm. 27. Conformitates Francisci, Anno 1590. Bononiæ recusa,*  
*Flosculi itidem Francisci, ex quib9 apparet Franciscum illos fa-*  
*cere alterum Christum, qui V. vulnerum stygmatis sibi ab An-*  
*gelo in solitario quodam loco impressis, servet à morte eternâ vi-*  
*ros, qui à tempore illius usq; in finem mundi vixerunt & vivent.*  
*Hinc & cū Petr<sup>o</sup> Paulus Vergerius Episcopus Justipolitan<sup>o</sup> huic*  
*figmento, scripto quodam se opponeret, scriptum id decreto Pauli*  
*iii. Rom. Pap. ad valvas Basilicæ Petri Romæ affixo Anno 1590.*  
*30. Decemb. damnatū est (iii.) Nostra propria merita, videat-*  
*tur Lessius in consult. p. 19. Costerus in Enchirid. Cap. 7. p. 293.*  
*S. 5. Formali causæ Thesi 21. explicatæ, & Spiritui S. con-*  
*tradidunt: Negant enim imputationem Justitiæ Christi,*  
*& putativam seu imaginariam, ut Bellarm. & Sanderus, vel*  
*amentissimam insaniam, ut Andræadius, vel spectrum cerebri hu-*  
*mani ut Scapletonus, illam vocant: urgent necessitatem di-*  
*spositionum, quas ad justificationem requiri asserunt, quales*  
*dicunt esse Fidem, Timorem, spem, dilectionem, dolorem, con-*  
*tritionem, propositum Sacramenta reipsa percipiendi, propo-*  
*situm novæ vitæ. Militant pro operum justitia, nosq; fide-*  
*solarios per contemptum, non secus ac Julianus olim fidelibus*  
*objiciebat & dicitur τὸν ἐπιτιμῶν τῆς ἡμετέρας ὁδοῦ ὀφείας, teste*  
*Sozom. lib. 5. histor. Eccles. c. 18. vocitant, ut ex Gregor. de va-*  
*lent. analysi patet. Quæ omnia si ut deceret hic explicari & ro-*  
*futari deberent, pagellæ nimium excrescerent, siquidem cardo*  
*Disputat. inter alia in hoc ipso inter nos & Pontificios vertitur,*  
*legi autem hæc possunt apud alios.*

Unicum tamen hic non prætereundum, quod falsò dissensum  
 nostræ Ecclesiæ nobis objiciunt: Salmeron enim Tom. 15. Com. p.  
 25. viginti duas discrepantes opiniones Lutheranorum de Cau-  
 sâ Formali Justif. enarrat. Bell. l. 2. de Justif. c. 1 ad 5. illas revocat.  
 Ast tertiam de Justitia Dei essentiali non nostram agnoscimus,  
 sed ab illa dissentimus, ut ex Thes. 24. palam est. Quintam e-  
 tiam de duplici justitia inhærente & imputata Piggio Romanæ



sedis patrono remittimus. Neq; in articulis Ratis bonens. & quidem 5. quicquam contra nos continetur. Licet enim non negemus, justitiam inhærentem seu renovationem, eamq; nobis per Christum contingere; per negamus tamen illâ justitiâ formaliter coram Deo nos justos esse. Reliquæ verò 3. opiniones, quas introducit Jesuita, ut sunt: quod quidam dicant, fidem esse causam formalem, alij Christi obedientiam, alij remissionem peccatorum, non sunt pugnantes, sed subordinatæ: idem enim est sive dicas, justificari nos fide, nimirum apprehendēte Christum: Christi merito, obedientiâ & justitiâ justificari, nimirum fide apprehensâ; sive justificari nos Dei misericordiâ, scil. imputante nobis per fidem Christi meritum, sive deniq; justificari nos remissis peccatis, nempe propter Christum fide apprehensum; conjunctim namq; in his propositionibus causa principalis, meritoria instrumentalis & formalis explicatur.

§. 6. *Circa instrumentalem causam plurimos errant errores. Non dicam hic prolixè, quod humanam naturam Christi Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 2. eo nomine beet, cum enim id oriatur ex illo errore, quo docent, Christum mediatorem tantum esse secundum humanam naturam; hinc in loco de Persona Christi propriè perstringendus venit error ille. Negant. v. i. Fidem notitiam esse, Videatur Bellarm. lib. 1. de Justif. c. 7. urgens locos Esai. 7. 1. Cor. 13. 2. Cor. 10. & rati unculas quasdam, verum impertinenter. Inficiatur 2. Fidem esse fiduciam. unde Bell. non solum lib. 1. de Justif. Cap. 11. argumenta nostra Thef. 30. producta, enervare conatur, licet frustra, ut D. Gerhard. Tom. 3. Loc. de Justif. Cap. 4. Sect. 2. Thef. 72. demonstrat; verum plurima producit Cap. 4. inter quæ præter dicta, quæ ex Hebr. 11. 1. Cor. 13. 2. Cor. 10. & locis alijs, inconvenienter explicat & applicat, tanquam primarium cum affectis suis urget, ex distinctione facultatum animæ desumptum, quod impossibile sit, unam eandemq; qualitatem numero, esse in intellectu & voluntate, cum tamen distinctio illa non ex Schola Spiritus S. quæ cordi notitiam, fiduciam & affectus tribuit. Rom. 10. 10. sed principis philosophicis desumpta sit, sicq; veritati cælesti nihil deroget, quin & verba notitiæ apud Hebræos affectum cordis connotent. 3. Distinguunt Fidem in explicitam & implicitam seu car-*  
*bona.*

bonarium, Biel. 3. sentent. dist. 25. quest. unic. Occam. tract. de Sacram. c. 1. Greg. de Valent. in Analys. de Eccl. p. 205, In infusam & acquistam, quam B. Lutherus Tom. 2. Lat. Jen. fol. 525. in Gen. c. 22. & alibi, neg. sanè immeritò, exagitat. In informem & charitate formatam, Lomb. 3. sent. dist. 23. lit. C. cum tamen effectus non sit suae causae formae, quin & fides vera suam propriam habeat formam. 4. Fidem justificantem tam latè patere docent, quàm latè verbum (indè est quod fuit & in Colloq. Rati. bonensi in hanc eruperint vocem: Esse articulum fidei, quod canis Tobiae caudam moverit) certam verò promissionem specialis misericordiae non ad fidem sed praesumptionem pertinere. Hinc Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 4. adducit testimonia ex Marc. 1. & Luc. 18. quibus vult probare Fidem esse justificantem, quamvis non respiciat misericordiam specialem, & non esse fidem justificantem si eam misericordiam fortè respiciat.

§. 7. Exinde flosculus ille de dubitatione contra thesin nostram 36. Pergimus ad

### Heterodoxian CALVINIANORUM.

Neg. prolixi erimus in erroribus illorum, qui ἐπιπέτως huc reduc. potuerunt, recensendis, ut quod gratiam Dei non extendunt ad universum genus humanum. Parcus in traenico cap. 24. p. 142: quod meritum Christi sua ἀμοιβὴ ἐνεργεν. Beza in Colloq. Mompelg. ad Thes. 7. VVitrenb. de praedic. p. 514. Piscator de Praedest. Thes. 3. quod fidem, gratiam, & meritum ad paucos restringentes labefactent: quod infantes fidesuâ justificari negent, Beza in 2. part. respons. ad Act. Mompel. p. 97 & seqq. Piscator ad dictata Hoffmanni p. 84: quod in vita aeterna collocent Herculem, Somcratem, Aristidē, Sornius in Exeg. A. C. p. 828. Embdens. contra D. Hunnium. Hos enim & similes suis proprijs remittimus sedibus. Unam solum notamus quem Jobā. Piscator, suum quasi proprium faciens, defendere conatur, cum Christum obedientiā suā Activā, nihil nobis, sed sibi promeruisse, astruit, quem postliminio quasi revocavit, ex errore cujusdam Parsimonij, vulgò Kargij dicti, Antistitis Onoldini, circa annum 1570. sparsor. ad admonitum piorum virorum revocato, concordante etiam cum Concilio Trident. Sess. 6. c. 7. quod Bell. l. 2. de Justif. c. 2. ad eundem impingens Lapidē interpretatur. Oppojimus huic errori thesin nostram 19. Vertimus nos ad

### Heterodoxian PHOTINIANORUM. Qui

§. 1. Doctrinam de Justificatione in N. T. ex V. T. proponendam & in V.

**F.** per fidem propositam fuisse extreme negant. Smal. contra Frant 2. diff. 4. infaustus, Faustus Socinus Photinian.  $\omega\epsilon\mu\alpha\chi\textcircled{\omega}$  part. 2. de Servatore c. 26. proinde loca V. T. Hab. 2. v. 4. & N. T. Act. 15. 11. Hebr. 13. 18. Apoc. 13. 8. mire depravant. Quæ à D. Stegman in Photin. diff. 31. 32. & seqq. vindicantur. §. 2. Gratiam Dei in Justific. negotio opponunt merito & satisfactioni Christi. Socin. tract. de Justif. p. 11.

§. 3. Satisfactio nem ejusq. imputationem derident. Nam ajunt, ne nomen quidem satisfact. in sacris extare, Adversari dictis 2. Cor. 5. 19. ubi dicitur, quod Deus nos sibi ipsi reconciliavit Ezech. 18. 4. ubi animæ quæ peccavit mors intimatur. Gignere absurda, ut sunt, quod impediretur exercitium honorum operum; quod omnes indiscretim fierent salvi, siquidē satisfactio universalis; quod major dilectio Filij quam Patris poneretur; quod nos non dimittere deberem9 delicta proximo, nisi satisfactioe factâ, cum imitatores Dei esse debeamus; quod poneretur ira in Deo, cum scriptura non dicat Christum Deum nobis reconciliasse, sed nos Deo; æternam mortem sustinere Christum oportuisset; quod sequeretur Deum non potuisse sine satisfactioe remittere, quod impotentiam, vel noluisse, quod invidiam argueret. Refutatio horum videri potest in Antropol. Meisn. disput. 26.

§. 4. Fidei justificantis originem, subjectum, objectum, naturam & officium miris modis corrumpunt. Docent non esse solius Dei opus. Socin. de Justif. item de Serv. arbitr. part. 4. c. 12. contra apertum textum Job. 6. 29. Hoc est opus Dei ut credatis. Negant esse fidem ex predicatioe externâ, ut externa predicatio non pro solo sono, sed pro sono cum re, sono explicatâ, conjuncto, accipitur. Mosior de Baptism. c. 6. Affirmant fidem esse solorum adultorum. Socin. de Statu primi hominis p. 311. contra expressum textum, Matth. 18. 6. & Marc. 9. 42. quem Smal. diff. 10. contra Frant 2. se dignis glossematibus depravare annuitur. Negant fidem habere pro primario objecto Christum, ejus sanguinem & promissiones, afferentes ipsum esse causam solum instrumentalem justif. Socin. contra VVick. cap. 4. & de Justif. p. 71. Animam & formam fidei dicunt esse obedientiam Socin. de Justif. p. 11. & part. 4. de serv. arbitr. c. 11. cum fructus ejusdem sit. Quæ præter hæc sunt  $\epsilon\nu\lambda\lambda\omega\sigma\epsilon\kappa\alpha\ \phi\lambda\eta\sigma\epsilon\lambda\omega$  introductorum & aliorum Hæreticorum, ea omnia brevitate studentes missa nunc facimus, & ut cum precibus incepimus, sic ipsidem finimus:  $\Delta\gamma\alpha\sigma\sigma\upsilon\nu\ \kappa\upsilon\epsilon\lambda\epsilon\ \upsilon\mu\acute{\alpha}\varsigma\ \epsilon\nu\ \eta\ \alpha\lambda\theta\textcircled{\omega}\textcircled{\omega}\textcircled{\omega}\ \delta\epsilon\ \delta\acute{\omicron}\varsigma\ \alpha\lambda\theta\acute{\eta}\ \theta\epsilon\acute{\omicron}\alpha\ \delta\epsilon\iota.\ \text{fit.}$

SOLI DEO GLORIA.





vie corpus suum emortuum v. 20. in promissione  
vie dissidentia; ubi certè fiducia satis aperte in  
9. 22. Exemplum est hæmorrhousæ, quæ illam  
si tangeret vestimentum Christi, se sanam for  
exempla Cananæa Matt. 15. 28. Moyses & illoru  
la ad Hebræos 11. Cap. meminit. Possent &  
monia Patrum, ut Cypriani serm. 4. de mor  
in Johannem, at illa repeti possunt ex locis D  
& ex Examine Concil Trid. part. 1.

XXXI. Hinc est, quod ex hac fide pro  
& in ea Christum mediatorem amplectente,  
bi applicante, sacra scriptura doceat, nos de  
esse posse, quod probatur 1. per firmitatem  
missionum, siquidem illæ conferuntur cum  
25. cum firma terra & anchora Hebr. 6. 19.  
31. 33. Talium a. promissionum nucleus Ioh.  
Deus dilexit mundum, ut filium suum unig  
2. per Spiritus S. verax testimonium  
Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, q  
item Gal. 4. 6. 1. Cor. 2. 12. 3. per Dei iusu  
bundantius volens ostendere hæredibus promi  
& immobilizatem consilij sui, interposuit jus  
lidam consolationem haberemus, qui confug  
propositam spem Hebr. 6. 16. 17. 18. Tale ju  
Joh. 5. 24. Amen Amen dico vobis, qui serm  
& credit ei, qui misit me, habet vitam ætern  
no ego dicit Dominus nolo mortem peccatoru  
tur & vivat. 4. per Sacramentorum ut  
modum; sunt enim signacula justitiæ fidei  
exauditionis promissæ expressam infallibil  
19. Joh. 16. 23. Cum jam oratio etiam remi

